

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Lewin Georgii

**Natalia Domini Nostri Iesv Christi Filii Dei Vivi, Ad Reuerendum ac Clarissimum  
virum, Dn. Matthævm Lvdecvm, Cathedralis Ecclesiæ Hauelimontanæ Decanum  
... scripta á Levino Georgij Hauelim.**

Rostock: Myliander, 1580

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn176287010X>

Druck    Freier  Zugang



Georgii - Natalia

1580.

7 42  
2188



6g - 2188.

40





6  
16A 354758.  
**NATALIA DO-**  
**MINI NOSTRI**  
**IESV CHRISTI FI-**  
**LII DEI VIVI,**  
**A D**

Reuerendum ac Clarissimum virum,  
Dn. MATTHÆVM LVDECVM,  
Cathedralis Ecclesiæ Hauclimonta-  
næ Decanum fidelissimum, Pri-  
gnitiæq; totius Archiquæ-  
storum dignissimum, ho-  
noris & gratitudi-  
nis ergo scri-  
pta à

**LEVINUS GEOR.**  
*gij Hauclim.*



**R O S T O C I I**  
*Ex officina Stephani Myliandri.*  

---

**M. D. L X X X.**

Familia, Virtute, o-  
na ac pietate Clarissi-  
mo Dn. Audoni Schrade  
V. Sociori reuatisimo

Reuerendo & clarissimo viro Dn. MAT-  
THÆO LVD ECO Cathedralis Eccle-  
siæ Hauelmontanae Decano fideliss: Prignis  
tiæq; totius Archiquæstori dignissimo  
Mæcenati suo maxime colendo

S. P. D.

L. G.

**N**ascitur è pura promissus virgine Iesus,  
Nascitur, atq; Deus ceu fuit antè manet.  
Nascitur, vt natus lapsos Phlegetontis in vndas  
Extrahat, extractos asserat, atque tegat.  
Nascitur in densis, densa sub nocte, tenebris,  
Mortis yt horriferis nos ferat ex tenebris.  
Nascitur en, inquam, pauper, seruusq; misercq;  
Divite quo miseros commoditate beet.  
Nascitur & natus fert omnia, ferre videtur  
Quanquam nulla tibi, fert bona, crede feres.  
Huius ego, tenui modulatus carmen auena,  
Natalem cecini versibus exiguis.  
Exiguis cecini noctem modo versibus illam,  
Munera quæ nostræ prima salutis habet.  
Et tua cum pietas mihi cognita, cognita virtus  
Sit, doctos inter qua numerare viros.  
Mitto, tibi tenues Mæcenas optime versus,  
Quos cecinitato nostra Thalia Dei.  
Mitto tibi, sed quid mittam fortasse requiris,  
Indicium grati pectoris esse putas.  
Sint gratum grati monumentum cordis, & essent  
Si maiora mihi munera crede darem.  
Sed quoniam maiora tibi dare dona negavit,  
Sors inimica mihi, dono minora, cape.  
Dona minorâ tuis meritis clarissime mitto  
Vir, quæ tu vultu non renuente leges.  
Non renuente leges vultu quia talia tali,  
(Ni fallor) fuerint munera digna viro.  
Sed tibi canicies veniat longæua, superstes  
Sis tibi, sis patriæ, sis mihi sisq; tuis.



1932, I 254

NATALIA DOMI  
NI NOSTRI IESV  
Christi filij Dei viuj.



Ptati redeunt latissima tem-  
pora Iani,  
(Iani, marmoreo qui tegit  
omne gelu)

Tempora stellifero D E V S est  
quis missus olympos.

Et fragilis sum sit debile carnis onus.

Ergo iterum, diuine puer, pulcerrime rerum,  
Qui sine principio es, principiumq; subis,  
Pauca salutiferis meditabor carmina cunis  
Fasciolis figens basia grata tuis.  
Ipse, precor, nostris præsens adlabere cœptis,  
Atque pium gratæ fleclito mentis opus.

O nox formosa mundum quæ lampade lustrans  
Aetherij superas lumina clara poli.  
Qua noua progenies cœlo descendit ab alto  
Et Deus è casta virgine natus homo est,  
Aurea nox, clarijs, nox ô, celebranda Camœnus,  
Quæ prior humanae conscia lucis eras:

Labere purpurei per amica silentia cœli,  
Labere, tranquillum sit mare sitque polus.  
Carcere clande tuos (Deus en venit) Æole ventos,  
Ne piceis turbent nubibus omne solum.

A 2

Cœru-

Cœruleum Neptune tuum modo comprime marmor,  
Horrisonis careat fluctibus atque fretum.  
Natura immensus præsenti huic militet ordo  
Nocti, huic ad nutus quod cadit omne cadat.  
Huic decus immortale ferant nitidissima cœli  
Sidera, perpetuo clara nitore micent.  
Phœbe sacram fundens meliori sidere lucem  
Clarius è rutilo funde nitore iubar.  
Tuq; Diana nouum misso pallore nitorem  
Concipiens radjys cuncta nouato nouis.

Labere nox placidi per amica silentia cœli,  
Labere, nil cursum quod remoretur erit.  
Aut potius (fuerit si fas remanere) maneto  
Nox, quæ es perpetuas nocte digna moras.  
Siste rotas nox alma tuas, nox aurea cursus  
O remorare tuos, nec properanter eas.  
Indulge nobis ô nox tua lumina, tempus  
Per longum maneat copia larga tui.  
Copia larga tui nobis nox aurea constet,  
Digna es cui finem secula nulla ferant.  
Secula nulla ferent tibi nox ditissima finem,  
Nec qui te claudet terminus ullus erit.  
Nam Deus ipse tuas luci præferre diurnæ  
Delegit tenebras, posthabuitque diem.  
Aspice quām rutilo Phœbus fulgore coruscet,  
Præq; alijs nitidum mittat ab ore iubar.  
Aspice quām cœli caput inter sidera tollens  
Ceu princeps radios spargat ab ore suos:  
Nec

Nec tamen in lucem voluit prodire Redemptor  
Cum rota Titanis fecerat orta diem,  
Sed cum siderium nox cœlum sparserat astris  
Tum voluit nasci virgine matre D E V S.  
Sic Deus insueta ratione creare creatos  
Ag gressus, tenebras nox amat alma tuas.

Ergo nox placidi per amica silentia cœli  
Labere, vel, si sit fas remanere, mane.  
Sed quò nam rapior? quis me nouus occupat ignis?  
Quoq; trahor? mentem quis nouus ardor agit?  
Annè ego sordidulum pastorum cerno cohartem?  
Quæ de nocte suas pascere suevit oves.  
Quæque polo lux sparsa meos pertingit ocellos?  
Et cœlo missum nunciat esse Deum.  
Tum quos percipio cantus? quas haurio voces?  
Quæ mortale nihil nil fluidumque sonant.  
Nonne meas pueri vagitus fertur in aures?  
Nonne Dei cœlum fletibus omne sonat?  
Fletibus, insueta cœlum qui luce nouaque  
Latitia, cantu, flore nouoque beant.

Labere nox placidi per amica silentia cœli;  
Labere, vel (si sit fas remanere) mane.  
Mortales, miseri atque in pessima quæque rotati,  
Primus homo vetitos sumfit ut ore cibos,  
Mortales, inquam, squalentia pectora habentes,  
Turbaque de stygio vix reuocanda lacu,  
Plaudite (latice præsens noua semina spargit  
Nox) noua & in tacito gaudia ferte sinu.

A 3                    Namque

Namque, quibus primi vos exuit ægra parentis  
Culpa, dies præsens reddidit illa, bonis.  
Æternæ redeunt iam vitæ munera vobis,  
Perdita quæque fuit iam redit alma salus.  
Nox noctem pellit, nox nocti lucis egenit  
Conciliat lucem conciliatque diem.  
Lux sub nocte venit, venit en noua stella, nouusq;  
Splendor, qui rutilum spargit in orbe jubar.  
Nascitur ille puer, penes est quem summa bonorum.  
Copia, qui donis affluit atque bonis.  
Primus Adam lapsu cœlestis gaudia regni  
Prodidit incauta mente, tulitque necem:  
Alter Adam, partu pia vitæ jura manentis  
Restituens, pedibus conteret usque necem.  
Primus Adam cuncto nos expoliauit honore,  
Diuitijs vita pectoris atque bonis:  
Alter Adam, pura placuit cui virgine nasci,  
Diuitijs mentem, corpus honore beat.  
Hic fert diuitias, fert pacem, fertque salutem,  
Dives enim varijs rex venit ecce bonis.  
Talibus ecce bonis rex dives nascitur ipse,  
In qua sors poterit juris habere nihil,  
Quæ rapiet nobis vis nulla, nec ullæ potestas,  
Quæ nec fraus poterit nec temerare dolus.

Labere nox placidi per amica silentia cœli  
Labere, vel( si sit fas remanere) mane.  
O caula, ô timidi pecoris custodia, partus  
Quis est virginei prima videre datum!

O. Ge-

O Genus abieclum pastores, vos ne per urbem  
Spargere, cœlicolum quæ chorus ipse stupet!  
O stabulum, ô præsepe, Dei quibus esse cubile  
Permissum est, num vos munera tanta decent?  
Ipse puer rex est, regali munere dignus,  
Atque tamen lacero nascitur in stabulo.  
O quæ parua licet sis, magnis debita fatis,  
Præ reliquis, Bethle, nobilitare tamen!  
Immortale decus tibi contigit, arbiter orbis  
Te patriam nati quod facit esse sui.  
O humiles rerum formas, abieclaque tecla,  
O nimium summo condecorata Deo!

Labere nox placidi per amica silentia cœli  
Labere, vel ( si sit fas remanere) mane.  
Sic rex ex humili est David pastore creatus,  
Proque pedo regni splendida sceptra tulit.  
Quæ res est hominum major ratione, pijsque  
Mentibus æternis commemoranda modis.  
At tu perge vigil mea mens miracla parentis  
Rimari & summi facta stupenda Dei.  
Sensibus humanis longè majora videbis,  
Quæque acies nostri non capit ingenij.  
Nempè velut David Bethlemica rura pererrans  
Cum grege rex Solymæ conditur atque caput:  
Sic rex, cui tellus, cui pontus & omnia parent,  
Cujus principium secula nulla vident,  
Efficitur pastor, qui pascua vera ministrans  
Pectoribus vita suppeditabit aquas.

A 4

Parua

*Parua loquar, Deus humanos puer induit artus,  
Editus illæsa virginitate D E V S.  
Vt, quod ego fueram, fierem, quod non erat, illud  
Suscipit atque tamen quod fuit antè manet.  
Eque Deo Deus est, è vero numine numen  
Nascitur, & tamen haud desinit esse Deus.  
Sol de sole puer, vero de lumine verum  
Lumen, splendoris splendor adortus adest.*

*Labere nox placidi per amica silentia cœli,  
Labere, nil cursum quod remoretur erit.  
Qui sine principio fuit & sine fine manebit,  
A quo principium cuncta creata trahunt,  
Nascitur & nostri moribundos corporis artus  
Induit, & nobis fit via, vita, salus.  
Qui quò quas dubius de cœtibus error agebat  
Per nemus ignotum, per juga ditis, onus  
In caulam reuocet, reuocatas aſerat, illis  
Sese participet concilietque patri:  
Non tantum nostras sese demittit in oras,  
Atque subit nostræ debile sortis onus,  
Sed quoque cœlesti sic se exſpoliauit honore,  
Agni quò subeat sustineatque vices.  
Agus adest ouis ergo ſitim trepidare famemque  
Define fontanos nec pete quæſo lacus.  
Agus adest constans cum quo tibi copia rerum  
Aduenit, & quo cum commoda cuncta fluunt.*

*Labere nox placidi per amica silentia cœli  
Labere, nil cursum quod remoretur erit.*

*Aſt tu*

*Ast tu nunc Acheron nostrum genus omne vorare  
Desine, nunc fauces Cerbere claude tuas.  
Qui tibi præda prius fuerant optata, resoluent  
Vincula, se laqueis expedientque tuis.  
Iamque tuas ceſſare decet Draco ſæue rapinas,  
Præda cruenta cades, qui tibi præda forent.  
Iam tu qui fueras ſolitus ſpoliare, rapinis  
Amiſis dignis adſificere modis.  
Mors tua mors oritur, vitam pro morte reducens,  
Mors, qui te pedibus conteret, ecce venit.  
Vita pijs pro morte reddit, mors exere vires  
Nil tua jura valent, nil tua ſceptra valent.  
Nam qui nos prima mundi ſub sorte creauit,  
Nascitur, & recreat, quos teget usque ſuos.  
O clementem animum, qui que conneximus ipſi,  
Vincula fert, noſtras fuſtinet atque vices.  
Pefima queque ſubit Deus ut bona queque reducat  
His qui iipſum firma ſpeque fideque colunt.  
Quisquis es, ergo nouum magno cole peclore regem  
( Regem qui vita jura necisque tenet )  
Sic etenim vita que fert pia iura ferendo,  
Iura tibi mortis nulla timenda manent.*

*Labere nox placidi per amica silentia coeli,  
Labere, vel, ſi ſit fas remanere, mane.*

*Tu verò venerande puer, pulcerrime I E S V,  
Qui Deus es caſta virgine natus homo,  
Blande puer, mellite puer, dulcissime I E S V,  
Qui pater es matris filius eſque tue.*

*A 5*

*Salve*

*Salve sancte puer, salve sanctissime IESV,  
Quems pro me ab mortis vulnera dira manent.  
Salve, inquam, salve, puer ô puer atra subisti  
Quod mala nostra: tibi quid rogo quid referam?  
Quid referam puer alme tibi, spes certa salutis  
Humanæ, ecquid erit quod puer alme feram?  
Nulla puer potero tibi munera reddere, nulla  
Nam video, forsitan quæ tibi ferre queam.  
Et quia nulla tibi queo munera Christe reserre,  
Da tamen ut grati pectoris esse queam.  
Aspice me diuine puer, rex maxime regum  
Quem tremit omne solum, tartara quæq; tremunt.  
Dulcis amor, dulcis pietas, dulcissima vita,  
Aspice me aspectum, protege, flecte, foue.  
Flecte foueque tuos ô mellitissime IESV,  
Illustrans radijs pectora nostra tuis.  
Nos coniunge tibi, tibi junctos asere, Ditis  
Pelle dolos, tibi nam quos rapit ille rapit.*





*W. W.*  
*Only*

64  
Σ1  
Σ1  
Σ2

67  
Σ1  
Σ2  
Σ8  
Σ2





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn176287010X/phys\\_0018](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn176287010X/phys_0018)

Salve sancte puer, salve sanctissime IESV,  
 Quem pro me ab mortis vulnera dira manent.  
 Salve, inquam, salve, puer o puer atra subisti  
 Quod mala nostra: tibi quid rogo quid referam?  
 Quid referam puer alme tibi, spes certa salutis  
 Humanæ, ecquid erit quod puer alme feram?  
 Nulla puer potero tibi munera reddere, nulla  
 Nam video, forsan quæ tibi ferre queam.  
 quia nulla tibi quo munera Christe referre,  
 Da tamen ut grati pectoris esse queam.  
 me diuine puer, rex maxime regum  
 tremit omne solum, tartara quæq; tremunt.  
 dulcis pietas, dulcissima vita,  
 aspectum, protege, flecte, fone.  
 nos o mellitissime IESV,  
 pectora nostra tuis.  
 Nostræ pectora junctos asere, Ditis  
 quos rapit ille rapit.

